



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo  
Ecclesiastico**

**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Quæst. I. An vi Jubilæi possit quilibet sibi eligere Confessarium?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**



206 P. 3. De Jubilao extraordinario.  
facultas, ut supponitur, nondum ex-  
piravit. Ita Filiucius, & alii.

Collige: Quando poenitens omni-  
bus reliquis perfectis, venit ulti-  
mâ Dominicâ, seu ultimo die Ju-  
bilai, dubitat tamen prudenter con-  
fessarius, an sit (si eum absolvat)  
permansurus in occasione proximâ  
peccandi; potest differre Confessio-  
nem & Communionem per aliquot  
hebdomadas: & postea eum absolve-  
re ab omnibus reservatis. Similiter,  
quando ipso tempore Jubilai non  
potest fieri confessio integrè, propter  
casus intricatos. Diana p. 5. tr. 12.  
R. 26. cum Bosio; Gobat n. 114. Vid.  
Sanchez De Matrim. l. 8. disp. 15. n. 17.  
Eugo De Pœnit. disp. 20. n. 13.

## S E C T I O IX.

### DE ELECTIONE CONFESSARII.

QUÆST. I. An vi Jubilai possit quilibet sibi eligere Confessarium?

RESP. I. Potest quilibet Sæcularis,



ris, tam Laicus, quàm Ecclesiasticus.  
Patet clarè ex verbis Bullæ.

R. 2. Potest etiam quilibet Regularis, ex quolibet Ordine, etiam mendicante; etiam Monialis: & quidem sine licentiâ sui Superioris; quidquid aliqui contrarium opinentur. Certè verba Bullarum, quibus communiter conceditur Jubilæum universale, satis apertè id exprimunt.

Atque ita, præter alios, sentiunt Navarrus l. 5. *Consil. tit. de Pœnit. & remiss. Consil. 19.* Suarez to. 4. de Relig. tr. 8. l. 2. c. 16. n. 7. Filiucius tr. 8. n. 276. qui addit ita declaratum à sacrâ Congregatione Papæ; Diana cum Bosio & aliis, p. 5. tr. 12. R. 12. & p. 6. tr. 8. R. 28. Bordonus *Consil. Regular. to. 1. Resol. 34. n. 52. & 53.* Lugo De Pœnit. disp. 20. n. 186. & c.

Gobat n. 225. & seq. multa in utramque partem disputat; dicit tamen se vidisse responsum Romanum, in quo rescribitur esse standum verbis Bullæ. At in Appendice postremæ editionis, existimat, Decretum notificati-



208 P. 3. De Jubilæo extraordinario.  
tificativum Clementis X. non patro-  
cinari affirmantibus. Verum Decre-  
tum istud est tantum notificativum  
pro Anno Jubilæo; adeoq; nihil facit  
contro affirmantes pro Jubilæo ex-  
traordinario, seu duarum hebdoma-  
darum.

Adde, cum Tamburino De Pœnit.  
c. 5. §. 4. n. 40, tacitum consensum  
Superiorum, qui dum Jubilæum suis  
subditis proponunt, satis ostendunt,  
eam libertatem approbare eligendi  
Confessarium.

Q. 2. Qualis debeat esse Confessarius  
eligibilis per Jubilæum?

R. Debet esse approbatus ab Or-  
dinario. Quod si Bullæ, ut ferè so-  
lent, exigant approbatum ab Ordi-  
nariis locorum, debet esse approba-  
tus ab Episcopo, aut ejus Vicario.  
Hi enim intelliguntur nomine Ordi-  
narii loci seu locorum. Et tunc non  
posset Regularis in Confessarium  
eligere Regularem à solo suo Præla-  
to approbatum; ut est communis sen-  
tentia, quam tenent Suarez, Re-  
ginal.